



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 99. An aliqua possessio, non tantùm generet præsumptionem tituli, sed reipsa conferat titulum & jus, si fortè defuit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

Clericum ad exhibendum suum titulum, docet *Fagn.* in Cap. *Licet Heli*, de simon. à n. 22., ideoque etiam talis possessio sustinetur, quamvis manifestè haberet juris communis resistantiam, quia præsumi potest dispensatio, *Postius* de Manut. observ. 44. n. 22. Et sola negativa, quòd titulus sufficiens non adfuerit, tamdiu perfectè non probatur, quamdiu adest sola possibilitas in contrarium, *Luca* d. 94. n. 12. *Resa* de Exec. Lit. apost. p. 1. c. 7. n. 15. Possuntque plures tituli præsumi, cum unus non præjudicet alteri, *Luca* d. 39. n. 4. & d. 79. n. 8.

716 Q. 98. An aliqua possessio non tantùm generet præsumptionem tituli, sed re ipsa conferat titulum & jus, si fortè defuit. R.

§. I. Annalis non confert, uti tenent omnes, quia permittit litem contra possessorem. Quòd triennalis etiam non conferat, docent *Covarr. Felin. Gom. Az. Mol. Chok. Castrop. Leur.* p. 2. q. 827. & ideo per hanc regulam non defendi aliquem in petitorio sed in solo possessorio, adeoque posse impeti ac privari, si post triennium erumpat vitium vel nullitas tituli, docent *Gl. Chok. Leur.* q. 858. Rationem dant, 1. quia tantùm prohibetur, ne possessor triennalis molestetur litibus, quod servari potest, quamvis ipse cognoscens vitium suæ provisionis teneatur beneficium dimittere aut dispensationem impetrare. 2. Quia titulus beneficii aliter acquiri non potest, quàm Canonicâ institutione uti significatur *Reg. 1. Juris* in 6., & Cap. *Ex frequentibus*, de Instit. 3. Quia aliàs ad quid posset Ordinarius ab eo, quem sciret triennio possedisse, exigere titulum beneficii? id autem posse, diximus cum communi n. 692. E contra, quòd titulum conferat, reddatque tutum in conscientia, docet *Nav. Sot. Rebuff. Sa, Sanch.* in Conf. l. 2. c. 1. d. 21.

Zyp.

Zyp. l. 3. conf. 2. Lugo de Just. d. 7. n. 107. Diana p. 9. t. 9. R. 67. & p. II. t. 5. R. 4. q. 2. Haun. de Just. t. 5. n. 284. Suadetur ex Conc. Basileensi, à quo primum tradita est Regula, quod teste Zypæo ita habet, non possit postea in petitorio vel possessorio à quoquam etiam ratione juris noviter impetrati molestari: Estque hoc rationi consentaneum, inquit Less. de Just. l. 2. c. 6. n. 35., quia est similis præscriptioni, per quam conferri jus etiam pro foro conscientia diximus l. 3. p. 2. à n. 470., valetque hic ratio ibi adducta; & si possint præscribi bona Ecclesiastica, cur non beneficia? Hinc respondent, Ad 1. Hoc ipso, quod Papa mandet aliquem non molestari super fructibus & possessione, per hoc sufficienter ei adjudicari jus ad licitè percipiendos fructus, quod jus est ipse titularis beneficii. Ad 2. Hæc præscriptio est Institutio Canonica, quia per Canones habet hanc vim talis possessio. Ad 3. Adhuc possent subesse vitia impediencia effectum Regulæ, uti sunt inhabilitas possidendi, & ingressus per simoniam, intrusio, mala fides, possessio non pacifica &c. de quibus dictum est à n. 695. Quod attinet ad fructus per triennium sine titulo perceptos, hi restitui debent, exceptis illis, qui functioni & labori respondent: si tamen etiam hos per triennium possedit, præscripsit: item si bonâ fide consumpsit & non sit factus disior, à restitutione excusatur, Sanch. c. 2. d. 34. Lugo n. 136. Diana p. 7. t. 10. R. 26.

§. II. Possessio decennalis inter præsentis, vicennalis inter absentes, de jure communi præscribit jus in beneficio Ecclesiastico, eo modo, quo præscribuntur aliæ res immobiles, secundum dicta l. 3. p. 2. n. 530. 717

Q. 100. Quid notandum sit circa modam obtinendi beneficium ratione Coadjutoria. R. Seqq. 718

Z 4

§. I.